

re. Hæc enim omnia excedunt rationem privati cultus, cum fiant in signum gratitudinis, aut devotionis particularis, et cerei etiam in defunctorum exequiis accendantur. Imo ex usu Ecclesiæ constat in processibus pro canonizatione sanctorum, ut in his qui facti sunt pro S. Raymundo, et S. Hyacintho, et ex bulla canonizationis S. Petri martyris. Et ex S. Antonino tertia parte historiarum, titulo XXIII, §. IV, in fine, colligitur quod istæ tabulæ, aut cerei, aut devotio specialis habebatur ad sepulcra talium sanctorum, etiam antequam beatificarentur, si quidem id referebatur in processu pro eorum beatificatione, aut canonizatione; nec ut ista donaria deferantur, requiritur quod prius facta sit probatio vitæ per episcopum.

XXXIV. Observandum tamen est decretum Concilii Tridentini sessione xxv, in principio, ubi præcipitur, ut novæ reliquiæ, et miracula non admittantur, nisi episcopo recognoscente, et approbante. Sed hoc de reliquiis sanctorum canonizatorum, quæ de novo inveniuntur intelligi censet Azorius 1 part. lib. IX, cap. VIII, quæst. VIII, et Sanchez lib. II decalogi, cap. XLIII, num. X. Et fundamentum est, quia Concilium Lateranense, ut habetur in capite Cum ex eo de reliquiis, prohibet ut inventas de novo reliquiis nemo venerari præsumat, nisi auctoritate Romani pontificis fuerint approbatæ. Quam constitutionem non abrogavit Tridentinum cum dicit, quod in nullo loco, vel Ecclesia etiam exempta, nulla insolita ponatur imago, nisi ab episcopo probata fuerit, nec nova miracula esse admittenda, nec novas reliquiis recipiendas, nisi episcopo approbante; nam concilium in initio capituli dicit ut instruantur fideles de honore reliquiarum, et invocatione sanctorum, juxta decreta sanctorum patrum,

et Conciliorum, et ut derogaret legem latam in Concilio generali deberet de illa facere specialem mentionem, ut est communior sententia doctorum. Solum ergo Concilii decretum intelligitur de reliquiis sanctorum, qui jam canonizati sunt. Hæc omnia specialius submittimus sanctæ matris Ecclesiæ correctioni, nam in his maxime ejus stylus tenendus est.

XXXV. Quæ doctrina mihi maxime probatur et ex illa colligo non posse auctoritate episcopi sine commissione Romani pontificis corpus, aut reliquias sancti non beatificati elevari, et proponi in Ecclesia, ut venerandas, sed juxta jus commune textus allegati debere id fieri auctoritate Romani pontificis. An vero ejus legati, aut nuntii ad id potestatem habeant, debet pensari ex speciali eorum commissione: nam de jure communi id non possunt, cum dispensare non possint in his quæ de jure communi papæ reservata sunt, nisi ad id specialem commissionem habeant. Plura de canonizatione sanctorum legi possunt in bullis pontificum, præsertim tomo primo, bulla prima Cælestini III, Gregorii IX. Et exinde usque ad canonizationem S. Caroli habentur quadraginta duo canonizationes (quæ facta est in anno 1610,) et in his posterioribus consueverunt Romani pontifices semper per modum definitionis determinare quod talis sit sanctus.

#### ARTICULUS III.

*Utrum in ferendis legibus pro universa Ecclesia, et religionibus approbandis pontifex errare possit?*

I. In hac re est communis theologorum sententia papam errare non posse in legibus, quas universali

Ecclesiæ proponit, et ad bonum commune ordinantur. Illam tamen quam de fide docuit S. Antoninus III p. tit. XII, cap. VIII, §. II, et Cano lib. V de locis, cap. V, dixit parum a fide distare. Cui accedunt magister Bagnez in prioribus commentariis art. X, dub. VI, et Molina lib. II de justitia, disp. CCCXXV; Bellarminus lib. IV de Romano pontifice, cap. V; Suarez tomo de fide, disp. V, sect. VIII, num. VII; Torres disp. XVI, dub. II, qui in hac parte maxime Cajetanum pungit. Ut tamen clarior istius habeatur notitia duplex est in hac parte sententia. Prima est Cajetani tomo II opusculorum, tractatu VI, capite II, ubi agens de contractu montis pietatis, an sit usurarius, existimat quæstionem, seu determinationem rerum moralium, ut quod iste contractus sit usurarius aut non, per accidens et non simpliciter pertinere ad papæ judicium, scilicet quia sibi promissa est omnis veritas de necessariis ad salutem, et non omnis veritas naturaliter scibilis, aut moralis: si illud necessarium certa ratione nescitur, aut si ab omnibus non capitur, sic pertinet ad Ecclesiæ judicium. Unde inquit, quod sicut in rebus fidei summi pontificis auctoritas omnibus rationibus præest, ita supra ipsum in his scibilibus obtinet ratio lumine naturali roborata. Hæc est Cajetani sententia, non quam illi imponit Torres infra citandus, quod videlicet dixerit definitionem Leonis X in Concilio Lateranensi, qua definiuit montem pietatis non esse usurarium, non esse definitionem fidei. Hoc Cajetanus in illo tractatu non dixit, nec dicere potuit, cum talem tractatum ediderit longe ante Leonem X et Concilium Lateranense.

II. Cajetano subscribit magister Soto lib. VI de justitia, quæst. I, art. VI, qui dicit a Leone X non

fuisse approbatas omnes conditiones illius contractus montis pietatis, sed quatenus sacris canonibus non essent contrariæ, additque eandem doctrinam Cajetani quod licet pontifex habeat summam auctoritatem ad condendas leges, tamen quæstiones morales naturaliter scibiles et quæ non deducuntur ex sacra Scriptura, sicut an sint tales contractus usurarii, necne, non videntur pertinere ad pontificem. Addit tamen Soto in fine articuli non expedit quod omnes contractus usurarii definiantur tamquam de fide si tales sunt, quia ex sola philosophia dependent, et Spiritus sanctus solum intendit sacram Scripturam Ecclesiæ exponere, et leges necessarias sancire. Quare Soto videtur admittere, quod in legibus necessariis a Spiritu sancto infallibiliter ducitur Ecclesia, sicut et Cajetanus quod omnes veritates necessarias eam docet. Unde non videtur esse contra communem sententiam, nec ita debuisse eorum doctrinam mirari Torres.

III. Est ergo secunda, et communis theologorum sententia ea quam in initio dubii istius retulimus. Ut autem fundamentum illius expendatur, notandum est id quod etiam advertit Suarez citatus et Bagnez, non esse inconueniens quod pontifex errare possit in aliquibus circumstantiis legum quas statuit, puta multiplicando præcepta, aut nimium rigorem, vel pœnas infligendo; non tamen posse errare in ipsa substantia, et moralitate legis sciendo contra honestatem morum, aut proponendo inhonestam pro honestis. Itaque in legibus quas Ecclesia proponit possumus distinguere, vel moralitatem earum quasi ex parte objecti, vel applicationem earum ad personas hic et nunc, vel circumstantias, puta rigorem, aut



pœnas, etc. Quæ duo pertinere videntur quasi ad prudentiam, executionem, et directionem legis magis quam ad substantiam.

IV. Dicimus ergo, quod in eo quod pertinet ad substantiam, et moralitatem legis, quam pontifex communiter proponit, quasi regulam morum sequendam, hæresis esset asserere Ecclesiam errare posse, ita ut aliquid perniciosum, aut contra bonos mores, vel jus naturale, aut divinum permitteret, aut præciperet. Fundamentum est, quia ad auctoritatem pontificis pertinet pascere oves Christi quæ non solum doctrina fidei, sed etiam regulis morum pascuntur; ergo sicut errare non potest in pascendis ovibus quantum ad fidem, sic neque in pascendis quantum ad regulas morum. Unde et Dominus dixit Matth. xxiii: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ, et Pharisei: omnia ergo quæcumque dixerint servate, et facite*. Servare autem et facere pertinet ad mores: ergo si illa omnia servanda sunt, necesse est quod non sint pernicioza, et contra jus, ac bonos mores. Item de fide est Ecclesiam esse sanctam; ergo oportet quod non erret in regulis morum; si enim admitteret aliquid inhonestum, et malum tamquam regulam, sancta non esset. Si autem Ecclesia errare non potest in regulis morum, neque ejus caput universale in quantum caput, quia Ecclesia universalis auctoritas in capite est, et ejus doctrinam sequi debet Ecclesia. Denique, non minus est necessaria ad salutem rectitudo morum, quam certitudo fidei, ergo sicut pontifex ex sua suprema auctoritate non potest errare in tradenda certitudine fidei, neque in tradenda rectitudine morali. Sicut si in doctrina morali de sacramentis, ut de non communicando laicis sub utraque specie

erraret, esset error perniciosus, quia destructa religione sacramentorum, quæ ex eorum cultu pendet etiam fides destruitur.

V. Nihilominus circa applicationem prudentialem ad singulares personas, aut sentiendum aliquid, vel circa circumstantias legum, non est inconveniens pontificem errare posse, quia hæc communiter pendent ex testimonio hominum fallibili, ut docet D. Thomas quodlibeto ix, articulo ultimo. Et constat ex Scriptura posse dispensatorem præpositum Ecclesiæ esse infidelem, ut colligitur ex parabola Matth. xxiv: *Si dixerit malus servus in corde suo, moram facit Dominus meus, et cæperit percutere conservas, etc.* item I ad Corinth. iv: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*. Non ergo repugnat in dispensando esse infidelem, et imprudentem pontificem; dispensatio autem pertinet ad applicationem. Et denique colligitur ex capite Si quando de rescriptis, ubi dicit pontifex: « Aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas quare adimplere non possis rationabilem causam præendas, quia patienter sustinebimus si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum. » In quo textu fundatur quod liceat subditis supplicare pontifici de legibus a se latis, ut illas non recipiant, atque adeo supponitur in his posse imprudentialiter errare propter malam applicationem, aut ex ignorantia, aut ex malitia ortam. Et in capite A nobis, secundo de sententia excommunicationis, dicitur, quod judicium Ecclesiæ opinione quandoque ducitur, quam et fallere sæpe contingit, et falli. Constat ergo Ecclesiam in pœnis ferendis, aut

applicandis legibus, aut in judiciis forensibus, et in his quæ pendent ex informatione, aut veritate facti posse falli et ideo sæpissime leges pontificis derogantur, aut revocantur, vel ab eodem, vel ab alio. In illis tamen legibus, quæ toti Ecclesiæ proponuntur ut quæ fiunt in Concilio generali, aut sunt redactæ in corpus juris, difficilius admittitur etiam prudentialis error, propter approbationem generalem quam habent, et ideo non possunt derogari nisi specialis de illis mentio fiat, ut colligitur aperte ex capite Ex parte de capellis monachorum, et capite Finali de pœnitentiis, et remissionibus in sexto. Et tenent communiter doctores, quos citat Sanchez lib. iii de matrimonio, disp. xxvi, num. vii.

VI. Ex dictis infero non posse pontificem errare in approbatione alicujus religionis, et qui oppositum diceret ad minus tamquam temerarius, et scandalosus, et errori proximus haberetur: nam D. Thomas opusc. xix, cap. iv, immediate ante solutionem argumentorum sic dicit: « In jure videlicet xxv, quæstione prima dicitur nulli fas sit sine status sui periculo, vel divinas constitutiones, vel apostolicæ sedis decreta temerare: cum ergo per apostolicam sedem religiones aliquæ institutæ sint, ad prædicta manifeste se damnabilem reddit, quicumque talem religionem damnare conatur. » Hæc D. Thomas. Quid autem intelligat per ly damnabilem sanctus doctor non explicat, sed videtur loqui de doctrina damnabili, atque adeo ad minus errori proxima. Sequuntur D. Thomam recentiores ubi supra, et Azorius tom. ii, lib. v, capite vii, ubi temeritatis, et erroris oppositum notat contra magistrum Cano libro v de locis, cap. v, qui satis audacter asserit aliquos ordines ab Ecclesia non solum inutiliter, sed etiam noxie approbatos. Sed

hoc merito censuræ subicitur, et fundamentum sumitur ex dictis, quia Ecclesia approbando religionem aliquam proponit illam omnibus fidelibus tamquam regulam, et viam perfectionis, ita ut liberum sit unicuique eam sequi non solum tamquam aliquid pertinens ad communia præcepta, sed pertinens ad consilia, et ad perfectionem; ergo si pontifex erraret in hujusmodi approbatione proponendo aliquid noxium et inutile pro vera et legitima regula perfectionis religiosæ falleretur Ecclesia in re magni momenti, quia proponeretur aliquid omnibus fidelibus, ut regula sanctitatis, ubi sanctitas non esset: quicumque enim fidelis religionem approbatam ingredi potest tamquam viam quandam perfectionis. Inconveniens autem est, quod aliquid proponatur, ut exemplar sanctitatis et regulam perfectionis proponi toti Ecclesiæ, et cuicumque volenti ingredi illam, in qua perfectio non invenitur. Sicut etiam inconveniens est aliquem proponi ut sanctum, qui sanctus non sit, eo quod proponitur ut exemplar imitandum a tota Ecclesia; sic religio proponitur ut regula sequenda ab omnibus, quam qui ingreditur perfectionem proficitur. Magnum ergo inconveniens esset aliquid tale proponi, quod revera noxium esset, et ad perfectionem non tenderet. Et hoc intelligendum est sicut conclusio supra posita de approbatione religionis quantum ad substantiam, non solum quoad tria vota substantialia, sed quoad bonitatem, et moralitatem ipsius regulæ, et statutorum, quæ pro ea non approbantur, ut conducentia ad perfectionem, quid sit de circumstantiis religionum, aut earum multitudine, quæ per se non sunt connexa cum substantia, et bonitate religionis approbatæ.



## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VII. Objicies contra conclusionem supra positam argumentum Cajetani et Soto, quia ad iudicium infallibile pontificis non pertinet nisi id quod deducitur ex sacra Scriptura, aut traditionibus apostolicis, id est, ex verbo Dei scripto, aut tradito: quod enim ibi secundum se, et implicite non continetur, non potest explicite, et quoad nos definiri. Sed leges morales quantum ad bonitatem, et moralitatem earum non deducuntur ex Scriptura, aut traditione apostolica, sed ex physica ratione morali, et natura talium rerum, et tales leges feruntur a pontifice juxta occasiones, et tempora; ergo definitio circa tales leges, quod sint bonæ, et non possit in eis misceri aliquid erroris, non facit esse de fide, quod in illis errari non possit.

VIII. Et confirmatur, quia in hac ratione diximus non esse de fide canonizationem sanctorum quantumcumque id definiat pontifex, quia non est materia definibilis; nec deducibilis ex ipsa Scriptura, et traditione sanctorum quantum ad hanc particularem personam quæ declaratur sancta; ergo similiter non erit certum de fide, quod lex ista in particulari, vel quæcumque alia, quæ est lata a pontifice nihil erroris habeat.

IX. Respondetur verum esse quod pontifex non potest definire aliquid tamquam de fide nisi contentum sit in Scriptura, aut traditionibus, quia pontifex non potest condere novam fidem, nec novæ revelationes sibi fiunt, sed solum ea quæ in fide contenta sunt explicare, et quæ secundum se sunt de fide quoad nos pro-

ponere, et ideo est regula certa, quod ea quæ non deducuntur ex Scriptura, aut traditione apostolica non sunt definibilia de fide, et hoc est quasi certum signum ad cognoscendum an aliqua definiatur tamquam de fide, vel non, scilicet si definitur ut deducta ex Scriptura aut traditione, vel non. Quamvis magister Cano lib. v de locis, cap. v, §. Nonne igitur, alia signa addat ad cognoscendum quidnam in definitionibus Conciliorum accipiatur tamquam materia fidei, ut si oppositum dicentes pro hæreticis judicantur, aut sub anathemate recipiendum præcipiatur, aut tamquam dogma fidei accipiendum a Catholicis expresse, dicatur, aut oppositum ut contrarium evangelio, aut traditioni apostolicæ judicetur.

X. Hoc supposito in præsentī dicimus, quod pontifex in his moralibus potest dupliciter procedere: uno modo, solum præcipiendo legem aliquam, et illam Ecclesiæ proponendo tamquam regulam: alio modo declarando in particulari aliquam moralitatem, puta quod talis contractus est malus, aut bonus, et talis materia est peccatum, aut non. Quando primo modo procedit pontifex non facit de fide, nec definit eam materiam quam præcepit in particulari, sed solum de fide est, quod moralitas talis præcepti, seu regulæ non est mala, et hæc est de fide in virtute illius universalis: Quod quæcumque dicuntur ex cathedra sunt servanda, et facienda, et quia non potest deficere sanctitas Ecclesiæ, et consequenter neque rectitudo moralis, quæ ex lege pendet. Sicut autem eodem modo est de fide: Omnem hominem esse mortalem, et hunc hominem esse mortalem, sic eodem modo est de fide: Omnem moralitatem legum pontificis esse bonam, et moralitatem hujus legis esse bonam, licet

materia quæ præcipitur non sit definita quoad veritatem credendam; aliud est enim veritas, aliud moralitas, et hæc est certum quod non est mala, de illa vero nihil definitur. Quando vero secundo modo procedit pontifex tunc definit circa veritatem talis moralitatis, scilicet determinando quod hoc sit peccatum, vel non, puta quod sit contractus simoniacus, vel usuriarius, tunc licet id magna ex parte dependeat ex principiis naturalibus juris, non tamen prout præcise naturalia sunt, sed etiam prout traduntur in decalogo, in Scriptura, et in his quæ de usuris, aut simonia dicuntur in Scripturis: ex illis enim secundum intelligentiam Ecclesiæ, et sanctorum deducitur quomodo hoc vel illud sit usura aut simonia, peccatum aut rectum, atque adeo negamus ex puris principiis philosophiæ deduci, sed etiam ex traditis in sacra Scriptura, nam sacra Scriptura continet principia moralitatis, tum in decalogo, tum in lege, tum etiam in doctrina evangelica, ubi multa moralia docentur, et ex conformitate ad illa deducitur quod aliquid sit bonæ, vel malæ moralitatis.

XI. Ad confirmationem respondetur, quod materia canonizationis sanctorum non est sanctitas, seu rectitudo moralis absolute, et secundum se, sed ut applicata huic personæ, quæ determinatur, et judicatur esse sancta propter opera bona, quæ fecisse probatur; et licet de sanctitate, seu rectitudine morali in communi possit dari certitudo non errandi tamquam de fide, tamen de rectitudine in particulari, et ut applicata huic personæ non potest dari tanta certitudo, sed sufficit quod indirecte, et reductive pertineat ad fidem, ut explicavimus articulo præcedenti. Et ratio est, quia rectitudo moralis legis est rec-

titudo in communi, cum lex solum in universali determinet; talis autem rectitudo, et sanctitas in communi deduci potest immediate ex Scriptura et error in illa esset, contra ipsam Ecclesiæ sanctitatem, quæ pendet ex lege quam sequitur; applicatio autem talis rectitudinis ad istam vel illam personam in particulari nec deduci potest immediate ex Scriptura, et per se, nec ita pertinet ad sanctitatem Ecclesiæ in universali, sed quasi exemplum quod ipsi ad imitationem relinquuntur.

XII. Secundo objicitur: Quia diversi pontifices videntur errasse in aliquibus legibus tradendis contra bonos mores, aut jus divinum, nam in capite Cum esses de testamentis Alexander III dicit esse a lege divina alienum, et ab institutis sanctorum patrum, et Ecclesiæ consuetudine, quod testamenta non valeant, nisi coram septem testibus fiant; et tamen id apud multas nationes inter catholicos positum est in consuetudine. Item in capite Licet de sponsa duorum, idem Alexander III determinat, quod postquam mulier per legitimum consensum nupsit alicui non potest alii nubere, et si nupserit etiam carnali copula subsecuta, debet separari: « Quamvis aliter, inquit, a prædecessoribus nostris fuerit judicatum: » ergo prædecessores in hoc erraverunt; constat enim non posse secundum matrimonium subsistere vivente primo viro. Item Stephanus VI irritavit omnia acta formosi prædecessoris sui, et ordinatos ab ipso, iterum ordinari jussit, quod est sentire contra sacramentum ordinis.

XIII. Denique in capite Per venerabilem qui filii sint legitimi docet pontifex legem Deuteronomii non esse abrogatam, quod est falsum: et in capite Laudabilem de conversione infidelium dicitur Cælestinum



III determinasse, quod per hæresim unius conjugis solvitur matrimonium. Et in extravaganti Exiit de verborum significatione Nicolaus IV definit perfectam paupertatem, quam Christus sectatus est non admittere dominium rerum nec in communi, nec in particulari. Cujus oppositum docet Joannes XXII, in extravaganti Ad conditorem, et extravaganti Quia quorundam, et definit esse hæreticum dicere Christum talem paupertatem docuisse. Ergo aliquis horum erravit, et consequenter manet instata ipso facto, et ipsa experientia nostra conclusio.

XIV. Respondetur in textibus ibi allatis nihil contra bonos mores doceri per modum legis, nam in capite Cum esses de testamentis nihil contra bonitatem moralem docetur: est enim alienum a divina lege quod requirantur septem testes de necessitate, non quia sit contra illam, sed quod non sit ex illa, nec valde illi conforme, quamvis non contrarium; et ideo improbat pontifex illam consuetudinem de septem testibus. Non repugnat autem quod consuetudo aliquando improbata iterum reviviscat, et prævaleat apud aliquam nationem. Quidam tamen canonistæ dicunt in illo textu solum loqui pontificem de testamento in causis piis, aut respectu eorum, qui temporaliter sunt subditi Ecclesiæ Romanæ, non respectu omnium fidelium. Sed restat illis solvendum quomodo hoc dicat pontifex esse alienum a lege divina. In capite Licet de sponsa duorum non explicat pontifex quomodo prædecessores sui aliter judicaverint, an quia ita privatim sentiebant, et explicabant tamquam personæ particulares; an vero ita judicaverint quasi sententiando ex cathedra. Item an aliter judicaverint in ipsa substantia rei, qui inquirebatur; an in aliquo acci-

dentali, puta in modo faciendæ separationis secundi matrimonii, et compellendo ad primum. Et ideo possumus dicere, quod illi prædecessores, vel aliter senserunt secundum privatum iudicium, non secundum legem, vel solum in aliquo accidentali aliter sentiebant.

XV. Ad factum Stephani contra formosum papam, respondetur Stephanum non errasse in condenda aliqua lege, sed solum errasse in facto, quia ex odio in formosum voluit ordinare ordinatos ab ipso simoniacæ (ut ipse dicebat) vel quia intelligebat non fuisse rite ordinatos quoad substantiam ordinis, vel quia in odium formosi, aut ejus simoniæ id fecit; et si male fecit, de eo tamen legem, aut definitionem non edidit: unde solum fuit peccatum personale. Irritatio etiam omnium actorum formosi fuit defectus facti, non legis a se latæ. Ad textum in capite Per venerabilem respondetur, pontificem non dicere legem veterem absolute non esse abrogatam, sed quod Deuteronomium, quia est lex prima debet observari, id est, adimpleri in novo testamento, præsertim in eo quod erat figuratum ibi, ut in illo specialiter quod ibi affertur ex capite XVII docet: loquebatur enim ad litteram de illo testimonio Deut. XVII: *Si difficile, et ambiguum iudicium esse prospexeris, ascende ad locum quem elegit Dominus Deus tuus, etc.* Quod etiam de apostolica sede intelligi dicit pontifex. Itaque non observabatur Deuteronomium ex vi talis legis, quasi ipsa nunc permaneat, sed quia multa, quæ ibi decernuntur sunt leges morales, aut figuræ eorum, quæ sunt in novo testamento adimplenda. Constat autem ex doctrina D. Thomæ 1-2, quæst. CIV, art. III, quod solum figurativa præcepta illius legis, et cæremonialia defecerunt in novo testamento; moralia autem,

et judicialia, et quæ per figuras illas significabantur deficere non poterunt. Quod ergo decernitur in Deuteronomio in novo testamento debet observari quasi per adimplentem, aut imitationem, non ex vi et obligatione legis, dicente Domino: *Quia non veni solvere legem, sed adimplere.*

XVI. Quod vero allegatur ex capite Laudabilem per alterius conjugis hæresim dissolvi matrimonium, id in tali textu non habetur, licet dicatur olim fuisse in antiquis decretalibus, et id vidisse se dicit Castro libro primo de hæresibus, cap. IV, forte tamen quia ipsius Cœlestini non erat, aut non recipiebatur tamquam dictum et cathedra, sed forte ex privato iudicio expunctum fuit a decretalibus. Denique ad id quod affertur ex Joanne XXII, respondetur ex doctrina Turrecrematæ lib. II de Ecclesia, cap. CXII; Bellarmini libro de Romano pontifice, capite XIV, ubi dicta illorum pontificum conciliat. Quod in eo quod Nicolaus sensit paupertatem illam esse perfectiorem, et meritoriam, quæ nihil in communi, nec in particulari possidet, nihil definivit, sed sententiam suam explicuit, Joannes autem XXII id directe non impugnavit, sed solum renuntiavit juri, quod dicebatur habere pontifex Romanus possidendi omnia bona fratrum minorum. In eo autem quod dicitur de paupertate Christi non dissen-

tiunt Nicolaus, et Joannes, nam Nicolaus dicit Christum aliquando paupertatem illam sectasse, quæ nec in communi, nec in particulari aliquid haberet, aliquando vero admisit in communi, quia: *Judas oculos habebat.* Joannes autem XXII asserit esse hæreticum dicere, quod Christus nunquam aliquid proprii habuerit, quod etiam verissimum est, nec priori assertioni contrarium.

XVII. Ultimo objicitur: Quia nimietas religionum gravem confusionem in Ecclesia Dei inducit, ut dicitur expresse in capite Finali de religiosis domibus, et idem habetur in capite: Primo in eodem titulo in sexto ergo multæ religiones approbantur inutiliter, et noxie alias earum multiplicatio non pareret gravem confusionem. Item multorum ordinum regulæ sunt approbatæ, quæ postmodum ab ipsa sede apostolica sunt rejectæ, ut ordo Fraticellorum a Cœlestino V approbatus, per privilegium revocatus est a Bonifacio VIII, in extravaganti Sancta Romana de religiosis domibus: et ordo Humiliatorum extinctus est a Pio V in peculiari quadam bulla: ordo Templariorum a Clemente V, et alii similiter ordines sunt condemnati; ergo in eorum regulis approbandis non est certum pontificem errare non posse; alias irrationabiliter abrogarentur.